

Vc
4904

h



ACCLAMATIO
PRINCIPUM. MAXIMO. PISSIMO.
JOHANNI. GEORGIO II.

SAXONIÆ. DUCI. POTENTISS.
SACRI. ROMANI. IMPERII.

PRÆF. PRÆT.

ELECTORI.

VICARIO

AUGUSTISSIMO.

PATRIÆ. PATRI.

FORTI. PACIFICO. MAGNANIMO.
RELLIGIONIS. DEFENSORI.
LITERARUM. STATORI.
LIBERT. PUBL. RECTORI.
PROVIDENTISSIMO. FELICISSIMOQ.

DOMINO.

INDULGENTISS.

POST. AUSPICATISSIMUM. EJUS. IN. URBEM.
LIPSIAM. INGRESSUM.

IN. SOLEMNI. PANEGYRI.

E. SVGGESTV. MAJORIS. AUDITORII.
PIETATIS. OBSEQVII. AC. DEVOTIONIS. CAUSA.
DICTA.

A.

THOMA. STEGERO.

SERENITATI. EJUS.

DICATISSIMO.

IPSIS. KALEND. OCTOB.

ANN. O. R. c^o Id^o LVII.

ÆRE BAUERIANO.





Vandoqvidem, quos rebus
mortalium æterna Numinis pro-
videntia præfecit, SERENISSIME
ELECTOR, (Te enim unicè nunc
alloqui constitui, ac præsentem
Te veluti intueri sentio, qui tam-
etsi corpore abes ex hoc loco,
majestate tamen atq; reverentia repleas hanc ædẽ,
nostrisq; quodammodo animis præsentem Te hinc
sistis) Quandoqvidem, inquam, quos rebus mor-
taliu æterna Numinis providentia præfecit, loco
quovis atq; tempore, mentibus omnium repræsen-
tantur, & judicia populorum, maximè subditorum
relligione ac benefactorum memoriã semper inha-
bitant, haud aliter ac solium Domi & consuetam
imperii sedem, non jam heri vel nudius tertius ad
hanc tuam Civitatem digressum Te adoramus, qui
cùm nunquam non ob Tua Majorumq; Tuorum
divina in nos merita, cum votis rebusq; nostris au-
cta indies & adulta, tùm imprimis ob vigilem istam
atq; providam semper, quã vitam fortunasq; no-
stras tueris, curam, Te parentem publicũ eo haud
immeritò cultu, eã mentium pronitate atq; devo-
tione, veneramur hæctenus, quã nec expectari à
nobis major potest, nec à quoquã sanctior offerri.
At verò, DOMINE, cùm post commissum Tibi di-
vinitus susceptumq; recens harum provinciarum
principatum, post revisas aliquot ditionum tuarũ
civitates, post tot augustissimas curas, tot extero-
rum maximi momenti legationes tam acceptas,
quam

quàm emissas, ad hanc quoque Urbem, nulli tuarum vel fide, vel obsequio cedentem, deflectere dignatus sis, novo pietatis genere, novis officiis opus esse sentimus. In quorum anxiam meditatione, dum, quibusvis exquisitis, & ut inferioribus tantam magnitudine tua rejectis, universa occupatur civitas, singulique prout vel amor vel gaudium impellit, conscientiam suam debitum aliquam ex parte relevare operose sunt solliciti: ego quoque minimus Tuorum, dicendi quidem arte multis, parendi autem studio nulli inferior, in tanto exultantium gaudiorum cœtu, communi que gratulantium votorum certamine, silere nec volui, nec potui; præcipue quod dicentem & pietas excuset & gaudium compellat. Nec respues, confido, hæc subjectissimæ pietatis vocabula, quæ non tam proprio nitore, quàm studio Tui cultus æstimari volunt. Nam & in tam subito devotionis calore, & impotenti gestientis animi æstu, nec sincerius, nec laudabilius acclamationum genus potest cogitari, quàm quod illum æmulatur sermonem, qui fingendi nec tempus habet, nec animum. Permittes igitur, PRINCIPUM MAXIME, inter tot disertissimorum hominum expolita atque præmeditata varii generis officia, quæ & præfenti Tibi offeruntur, & absenti debentur, istas quoque humillimi tui civis rudes quidem ac indigestas voces, sed innocenti simplicitate & arcana pietatis religionem sibi unicè placentes, ad pedes tuos tantisper devolvi. Quo ipso quidem, quum cætera Deo sis proximus, simillimum Te eidem exhibebis: quippe quem non tam accuratis superstitione adorantium precibus, quàm devotorum innocentiam pectorum atque sanctimoniam lætari, habemus compertum, gratioremque apud eum existere, qui templo suo puram castamque mentem,

tem, quàm qui affectatam & speciosis verborum titulis tumentem intulerit orationem. Hinc tantùm abest, ut ab augustæ sublimitatis tuæ penetrali arceri verear, ut meæ potiùs seu confidentiæ seu imbecillitati veniam sperem promittamq; præsentissimam; erectus potissimum atq; levatus incredibili tuâ humanitate, & insitâ divinæ indolis moderatione, quæ cæterarum Virtutum tuarum, serenitatem adorantibus ultròq; solet esse obvia, & vel hæsitantes erigere, vel balbutientes confirmare. Loquor expertus, & quam in simili penè negotio tribus, & quod excurrit, annis experiri licuit admittendi facilitatem, eadem mihi fiduciâ impræsentiarum polliceor. Quantâ tum pronitate, DOMINE, dexteram Tuam immortale illud virtutis pignus atq; fidei, venerandum istud regiminis atq; tutelæ publicæ simulacrum, religioso libandam osculo porrigebas! Quantâ animi benignitate atq; clementia, flexo Te genu adeuntem admittebas! Quantâ sereni vultûs amœnitate communia gratulantium Musarum vota, his tibi manibus trepidanter ac relligiosè oblata, accipiebas! Testor immortalem Deum, & ad vicem numinis mihi, sanctam conscientiam meam, nullum mihi per omnem vitam extitisse diem magis auspiciatum, magis lætum, magis honorificum. Nec mihi tantum: sed & universæ civitati faustiozem vix atq; exoptatiozem obtingere potuisse lucem, credendum est. Incubuerat per longam annorum seriem laribus nostris atq; penatibus iniquissimi fati sævitia: afflixerant muros atq; tecta nostra tot impotentes communis calamitatis turbines; quùm ecce serenissimus adventûs Tui splendor, velut salutiferum auspiciatissimumq; fidus desolatæ huic Urbi affulgebat, dissipatisq; quasi numine tuo de repente nubibus, quæ tot antè circum malorum ful-

mina

mina ejaculabantur, tranquillio rem pacis quietisq;ve
ferenitatem vel adferre nobis vel portendere crede-
batur. Hinc in tam effusam, tamq; effrenem tum uni-
versi laxabamur letitiam, ut inter inconditos tripu-
diantis multitudinis clamores, ipsa quoq; tecta atq;ve
laquearia resultarint vocibus, perstrepuerint sonitu,
quodamq; veluti insensato futurae felicitatis augurio
fausta Principi, nobis lata ac salutaria fuerint omina-
ta. Nimirum constituerant fata, eum tum ~~ob~~ no-
stros mundi; oculos producere Principem, quem
terrarum Orbi miraculum, Romano Imperio muni-
mentum, Nobis solatium erant datura: ut ejus paula-
tim sublimitate revereri, divinitatem ferre, benigni-
tatem adamare addisceremus. Nunc igitur, quum,
quem summus rerum arbiter Nobis, Imperio, Orbi,
& ostentarat & destinarat Principem, quem tot vota,
tot suspiria, tot auguria tiam petasoq; decoratum Ele-
ctorali videre, colere, amplecti, vel anhelabant, vel
ominabantur, quem extremo afflictam moerore Patria
unicum rebus fessis solatium, unicumq; curarum ca-
lamitatumq; levamen sibi promiserat, Lux hodierna
oculis nostris, udis quidem haecenus & madentibus e-
luctuoso Divi Parentis tui, immo & nostri obitu, nu-
per autem ex adventus tui fama arescentibus paula-
tim, hodieq;ve ex auspiciatissima ejusdem apparitione
siccis penitus, ridentibusq;ve ac omni lacrymarum
(nisi quas gaudium fors exprimit) humiditate exper-
tibus, exponat cominus, videndumq;ve singulis, & a-
dorandum exhibeat; quanto nos gaudio non adfici
modo, sed perfundi, quanto nos animorum impetu
post tam longum tamq;ve exquisitum moerorem im-
pelli, quantam deniq; quamq;ve ineffabili jucunditate
dejectas luctu enectasq;ve mentes nostras, hac tam ex-
optatam praesentiae tuae luce refici atq;ve refocillari exi-
stimas, ELECTOR INDULGENTISSIME! Haud igitur

X 3

mira-

miraberis, si sub ingressum tuum indecori quidpiam aut indecentis à nobis est commissum. Nihil quippe solet esse immoderatus, quàm post diuturnam ægritudinem recens gaudium. Fervet, impellitur, nec ullis se limitibus coerceri patitur. Quam se primum liberum esse sentit, non purum statim, nec defecatum; sed turbidum, plurimoque effrenis fervoris motu mistum deprehenditur. Nam ut fistula, quum vi diu intercepta sunt, dato derepente exitu, quò largiores, eò crassiores aquas evomunt: sic gaudia hominum, diuturno luctu interne quies interclusa, quotiens effractis tristitiæ claustris cumulatè erumpunt, rarò fluunt pure, rarò sedatè, turbidè plerumque atque immodicè diffunduntur. Hinc est, ELECTOR, quod ingrediente Te visi tot attoniti admirantium vultus, tot multiformes latantium status, tot varii corporum motus. Hinc est, quod auditi tot inconditi puerorum, juvenum, senum clamores: tot lituum, tubarum, tympanorum, bombardarum clangores; iisque alternatim veluti respondentibus chordarum, fidium, concentuum moduli atque susurri. Hinc est, quod plateas, domus, tecta, oppleta videris ubique atque referta, quod confluens undique occurfansque tot civium, tot exterorum frequentia permeanti Tibi angustum vix tramitem reliquerit, quod Urbs ipsa suis propemodum sedibus emota, excita, erumpens, ante ora tua se obtulerit, & exercitu quodam Civium tuum equum, utpote nimis propere portantem Te aliò, avidisque oculis nostris subtrahentem, obsederit veluti, ac generosos ejus incessus identidem impediverit. Cognosces, credo, PRINCIPUM PISSIME, quo hæc imperio, quo instinctu à nobis sint patrata? Internæ dico latitiæ, ac reconditæ intra cordis penetrabile religionis. Nam & horum quædam cogendi vis, quædam imperandi majestas. Impellunt, urgent, prouunt. Nec capit se ingens latitiæ, nec capitur: Sed dedignata pectorum latebras, ita multa, ita candida, ita abundans foris prominet, ut intelligatur
non

non ingentior esse, quàm verior. Dum igitur beatam omnium devotionem tam alacriter, tamq; audacter sese coram Te jactare cernis, dum in vultu cujusq; quoddam quasi publicæ hilaritatis simulacrum deprehendis, dum in ferens omnium frontibus animorum per legis indicia, operta mentium, recondita pectorũ, abdita sensuum nec scrutari necesse, nec exponere possibile est. Hoc interim adfirmo, hoc sanctè juro, non Tibi claustra magis & portas Urbis, quàm animos hinc aperiri: quos quum imperandi majestate atq; clemètia possederis hætenus atq; inhabitaveris, præsentia nunc jucunditate repleas, per meas, occupas. Atq; hac in parte præsens ingressus tuus omnes omnium antiquorum Imperatorum triumphos longè antecellit: quorum quidem ingens arrogantia eò devenit dementia, ut parum illis fuerit curru quadrijugo aut albae in vehi equis; nisi superbis eorum pedibus ipsi hominum humeri substernerentur. Tu verò non tyrannide, nec arrogantia; sed virtute, sed gloria, sed indulgentia, excelsior omnibus atq; elatior, nec de patientia civium, sed de dominatu vitiorum gloriosissimum omnium triumphum agens, hoc ingressus tui magnifico splendore præcipuum gratissimumq; augmentum nactus es, ut non tam cervicibus subditorũ quàm animis, excipereris atq; importareris. En currũ, DOMINE, in quem noster te adfectus collocavit. En thronum, quem nostra Tibi pietas paravit. En arcum, quem devotio erexit. Hic murus esto, quo te circumdabimus dehinc, hoc solium, in quo Te adorabimus, hoc donum, quo tibi litabimus. Loquor hætenus de animo isto, non ficto ab adulatione; sed à pietate formato: de animo, dico, non in summâ pectoris superficie commorante; sed in imis mentis sedibus alligato, vitæ immixto & unito, ac resolutis etiam morte corporibus cum immortalitate victuro. Hunc Tibi jam, INGENS ELECTOR, offerimus, hunc tibi dicamus, hunc tibi devovemus. Hoc Te ingredientem excepimus,

progredientem cingimus, egredientem comitabimur. Progredere igitur, sed lento & subinde impedito gradu. Patere, ut eorum oculi fatientur, quorum animos implēsti; si modò privatorū ora sustinere queant illum serenissimi vultus tui fulgorem; aut eorū fatietas esse possit, quæ inspecta diutius, semper augustiora offeruntur. Cæterum ad hanc curvantis se Plisnæ nostræ ripam, substratam nunc, & velut sensu aliquo divinitatis tuæ, & hujus desiderii nostri tactam, supplicem tibi, paullulum detineri Te patiaris. Subsistas quæso tantisper, OPTIME PRINCIPUM, ad tuam hanc Academiam, humili nunc devotione se prosternentem, si quidem alia spectas, sublimitate tuâ longe inferiorē; si verò arcana sacra & ipsa penetralia loci, si hospitium famæ, si Musarum officinam, si domicilium æternitatis, solâ præsentia tuâ sanctissimâ veneratione, velut numinis, fartum nunc ac repletum, splendidissimis Regū Palatiis, excelsis Principum arcibus, & quibusvis etiam templis atq; delubris, quæ & maximi rerum domini subeunt, non minorem. Quod si ergo ullus precibus, ullus votis locus, DOMINE, ne sodes nostro tam properè desiderio subtrahas vultum istum, augusti non minus gravitate decoris venerabilem, quàm amabilis admixtione hilaritatis renidentem. Sin autē moram ejusmodi nec petere nobis liceat, nec sperare, certè pietati nostræ ignosce, & in ipso transitu conjectis saltem huc oculis, si aut huc convertēdi sint, quos ipsa habitat Majestas, aut non animi hîc potius usus sit, aliquo Te spectaculo, nec injucūdo fors, nec à nostris studiis alieno, pascere atq; perfunde. Si enim more majorum receptum sit, rara quæq; & inusitata ad spectui Principum offerre, tuis verò opibus inter quotidiana oblectamenta nihil vel addi possit, vel excogitari simile; en quo uno urbs nostra paucis Europæ civitatibus concedit, plurimis antecellit, tuis nunc oculis objicimus, tuis meritis offerimus, non Pindum quidem credulæ Græciæ, aut Poëtarum fabulis fertilem Heliconē; sed

sed sacrum Lipsiæ nostræ Parnassum, tuis auspiciis in
novos quodammodo vertices assurgentem, tuis nunc
unicè laudibus resonantem, nec tam Phœbi sui lauro,
quàm stemmatis tui ruta superbum, atq; reflorescen-
tem. Quo ipso sane cum urbium domina, nunc suis
propemodum collibus ejectâ, cum ipsis quoq; Hiero-
solyms, & Athenis, aut ubicunq; tandem suam erudi-
tio sedem vel fixit olim, vel hodiè creditur habere,
certare audebimus atq; contendere. Quæ quidem in
laudem nostram non adferimus, cujusmodi orationē
tua tibi soli nunc vindicat præsentia; sed ut ostenda-
mus, qualia sint, quibus Te impræsentiarū excipere,
quibus impofterum celebrare ac sequutura tradere
ætati possimus, velimus. Neq; enim ista tantum intue-
ri Te volumus, quæ vel artificis manus, rerum naturā
imitata, vel sollers opificis industria, tuo extruere no-
mini est aggressa. Fluxa enim sunt ista atq; caduca,
tempestatibus cœli tēporumq; injuriis subiecta. Alia
sunt, POTENTISSIME ELECTOR, alia longè, quæ nostra tibi
pietas paravit, non manuum quidem; sed ingenii, sed
doctrinæ, sed literarū monumenta. Quæ ego arcibus
omnibus atq; titulis potiora constantioraq; existimo,
quando ingens nomen tuum non marmore aut trabi-
bus, sed æternis annalium tabulis incisum, canaleget
posteritas. Agnoscis, opinor, GLORIOSE PRINCEPS, qua-
lia Tibi in hac Musarum officinâ & fabricentur & of-
ferantur famæ instrumenta ac æternitatis; quibus
velut clypeo & parmâ adversus injurias oblivionis atq;
temporum armati, futura secula intrabimus, & po-
steris Te, tuasq; virtutes ac illustria merita tradituri
sumus. Ac videntur jam mihi subsellia ista, atq; hic ipse
suggestus, quæ ad memoriam nominis tui nunquã non
in decentem venerationem assurgent, meditari ver-
ba, quæis augusta virtutum tuarū exempla cum anti-
quis seu Græcorum, seu Romanorum, contendunt;
componere carmina, quæis divina mentis tuæ dona, ac
innumera laudabiliter in regimine tuo gesta, indefes-
sim

sim decantabunt. Neq; enim sterilis hinc seu laudum
seu historiarum sese offeret materies. Qui heroum
vitas describere, multa saepe aliena, ficta quoq; ac e-
mentita, implendis saltim paginis, inspersisse depre-
henduntur. Tui vero imperii actus tradituro nec co-
pia rerum, nec veritas deficiet, ut plus artis atq; operæ
futurum sit in tanta rerum ubertate contrahere histo-
riam, quam dilatare. Quantus hinc erit illustrissimum
campus Virtutum decurrendus! Hinc se ultrò qf. com-
memoranda sistunt, sancta atq; illibata erga supremum
Numen religio, constans erga Parentes, tam vivos,
quam divos pietas, infucatus erga Serenissimos fratres
affectus, ac deniq; erga subditos justitia, clementia, li-
beralitas, in excellentiori omnia gradu: Civilitas cum-
primis atq; modestia, quæ tam clara in principe, quam
rara, quæq; tanto se altius extollunt magnates, quanto
descendunt propius ad vota privatorum. Hinc, inquam,
scribentis sese calamo ultrò ingerent exaranda, ac vi-
vis depingenda coloribus ista à primâ statim ætate ge-
nerosa indoles, ingenium ardens, germana fides, infra-
cta animi magnitudo, despicientia fortunæ: Dignitas
item atq; honor, quem sapientiæ tribuis doctoribus:
Benivolentia, quæ eruditos amplecteris, beneficentia,
quæ nutris: maximè omnium indefessum pacis atq;ve
Concordiæ studiū, quod tu triumphis omnibus, par-
tisq; miserorum sanguine victoriis gloriosius existi-
mas. His adjici necesse erit, memoriæq; hominum atq;
imitationi veluti propinanda, insignis ista rerum ge-
rendarum dexteritas ac incredibilis regnandi prudē-
tia: cujus quum prima tyrocinia sub Divi Parentis tui
auspiciis egeris, ejusq; declivem senectam, ingentium
curarum mole penè obrutam, maturitate judicii,
consiliorum promptitudine, ætatisq; inflexo vigore
sublevaris, ac novo subindè spiritu vegetaveris, non
solum effecisti, ut exemplo laudatissimi Imperatoris
Trajani, pater patriæ esses, antequam fieres; sed sub
primo statim novi principatus tui ingressu, totius or-
bis

bis consensu dignus sis repertus & idoneus, qui post
excessum gloriosissimi Cæsaris FERDINANDI III. nutan-
tia Romani Imperii fata juvares auxilio, regeres inge-
nio, ac vice jam non Cæsaris modo, sed ipsius Dei in
terris, Deo proximus, Deo acceptissimus, cum omniū
applausu fungaris. Nobilissima profectò & posteris
imitanda materies annalium, quorum ope orbi olim
innotescere volumus, contigisse nobis non casu, sed
cælo, Principem, cui natura suas vires, Prudentia suas
artes, Fortuna suas opes ultro indulgit: ac ut verbo di-
cam, Principem, in quem Deus immortalis ea con-
gessit & naturæ bona, & ornamenta fortunæ, quibus
maximos mundi Dominos ornavit unquã aut instru-
xit. Hæc sunt, DOMINE, atque alia plurima, meam nunc
balbutiem supergredientia, quæ omnis in Te ætas,
omnis scriptorum industria, non ex assentandi artifi-
cio, sed ex pietatis officio venerabitur: quæ livor ipse
vereri, fama divulgare, æternitas consecrare decre-
vit. Sed ab hoc differendi argumento me & temporis
ratio, & ingenii tenuitas non dehortatur modò im-
præsentiarum, sed & abstrahit. Nam in justis Virtu-
tum tuarum encomiis plus semper intelligi debebit,
quam poterit pronunciari. Ac erit reverentius, illi-
bata ea in nostris reservari judiciis, quam inficeti ser-
monis pauperie attenuari. Volui autem aliqua car-
ptim saltem & quibusdam quasi punctis acumina-
ta perstringere, ut ostenderem, quæ postérité ha-
bitura sit seminarium, unde justorum voluminum
jugera sit completura. Quibus & nos quoad victuri
sumus, & voce & calamo ingentes meritorum tuorū
acervos sumus adjecturi; si quidem ullæ mortalium
vires immensam illorum magnitudinem vel fando
assequi, vel scribendo exprimere poterunt. Tanta enim
est illorum tamquæ affluens ubertas, ut non diebus nec
horis, sed momentis æstimari velint, per quorum sin-
gulos apices sæculares indulgentiæ multiplicantur.
Quapropter quum nec numerari possint à quoquã,
nec

nec munerari: neq; tua etiam fortuna vicem expectet beneficii, aut nostrae suppetat reddendi facultas; itaq; quod solum vel fors tua potest accipere, vel nostra dare, immortalitatem munerum tuorum sempiternis recolemus officiis, ipsumq; hunc, quem hisce nobis diebus impertivisti, benignissimi vultus tui adspectum, tanquam insigne gloriae nostrae trophaeum in cordibus nostris atq; memoriis jugi celebratione circumferemus. Nunquam praesentia tua in taedium, nunquam absentia in oblivionem nobis veniet: ac facilius erit, ut oculis vultus absentis, quam animo charitas & reverentia excidat: siquidem adhuc est in ambiguo, utrum te magis nostris mentibus Virtus, an obtutibus Vultus insinuet. Orbis ipse, nostrae nunc testis pietatis atq; conscius, fatali ruina in nihilum ante redigeretur, quam vel de amore nostro, qui evellendis nunquam radicibus haec pectora insidet, vel de fide ac sacramento nostro, quod erectis ad caelum non tam digitis, quam mentibus, nostra solvit religio, quidquam est decessurum. De caetero vero, quidquid est, quod vel natura nobis, vel fortuna concelsit, Tibi hic omne offerimus. Omnes spes nostras, opes atq; fortunas, pectora quoque, mentes, ipsumq; nostrum sanguinem ex istis venarum fontibus pro salute tua avido saltu erumpentem, dicamus, rogemus, litamus. Admittas saltem, SACRATISSIME PRINCEPS, propitio pacatoq; vultu, hanc ore quidem privato, sed publica tamen voluntate, effulam, Tibiq; veluti transeunti summam oblatam verecundiam pietatem. Ac nunc quidem festinantem Te parantemq; rursus abitum diutius non detinemus. Dimittimus igitur, nec tamen totum, quippe meliore tui parte in animis nostris & votis aeternum mansurum. quae si inter tot faustas aliorum acclamationes, inter tot strepitus cingentium te armatorum, audire Tibi licebit, individuo Te nexu undiq; sequentur, nec tuo tardiora erunt itinere, Quod ergo restat, pro Tua Serenissimaq; Domus incolumitate, meo & publico nomine votum solemne facturum, verbo utar & brevi & simplici; antiquo tamen & casta mente profecto: DEVS TE SERVET, Deus te tueatur, Deus te custodiat, PRINCIPVM OPTVME MAXVME! Deus, qui ditione perpetua divina atq; humana moderatur, det tibi salutem, det vitam, det felicitatem, quia in Te uno & nostra salus, nostra vita, nostra felicitas fundatur! Concedat tibi aetatem, quam mereris, id est, longam, ac si rerum natura pateretur, aeternam! Sustentet mentem, quam dedit; ac, si quae nostra sunt, liceat tuis innectere, hunc tuum in nos animum perpetuum nobis servet & in omne aevum duraturum. Vive Nobis, vive Imperio, vive seculis, O vita Civium, O anima Imperii, O seculorum fidus & admiratio!

Vive, regna, perenna!

D I X I.

e-
s;
o-
m-
ce
ui
eū
ne
n,
fa-
a-
m-
in
nc
m
di-
re-
io,
ra
as,
em
us,
S,
in-
m.
eti-
in
im
li-
re,
ou-
iti-
ne-
us,
det
ici-
c si
væ
no-
fe-

ULB Halle 3
004 807 936


VD 17





h. 3, 2.

Vc
4904

ACCLAMATIO
PRINCIPUM. MAXIMO. PISSIMO.
JOHANNI GEORGIO II.

SAXONIAE
SACRI. ELECTORIS. PALATII. RHEGNI.
ANTISS. PER II.

PA
FORTI
RE
LI
LIE
PROVII

POST. AUS
IN. S
E. SVGG
PIETATIS. O

TH
S
IP
ANN
OB.
LVII.

